

11. Ascendendo igitur ad intellectum, eodem modo philosophandum est, nam intellectus agens, statim ac sensus, imaginatio, seu cogitativa apprehendunt sensibile objectum, imprimunt intellectui possibili speciem proportionatam; non potest ergo imprimere speciem representantem solam substantiam. Et experientia id satis videtur docere; si enim dum sensus apprehendit accidens, intellectus nudam substantiam contempletur, statim discernemus intellectivam apprehensionem a sensitiva, quod tamen non nisi post longum discursum et reflexionem facere possumus. Præterea, quia vel per illam speciem aut conceptum representatur substantia absolute sine ullo respectu ad accidens; et hoc est impossibile, non solum in primo conceptu, qui fit sine discursu ex vi impressionis objecti, sed etiam post longam ratiocinationem et discursum, ut recte docuit Toletus, lib. 1 de Anim., c. 1, q. 6; et satis id mihi probat experientia, nam post longam de substantia inquisitionem, non possumus ejus rationem exprimere, nisi vel per negationes, vel per habitudinem subjecti accidentium. Si autem ille primus conceptus respectivus est, non potest non supponere conceptum accidentis. Non igitur potest primo concipi substantia illo modo, sed tantum ut involuta et contenta in concreto accidentis. Neque rationes Soncinatis aut Javelli aliquid amplius probant, nisi quod primus conceptus esse debet rei vel concreti per modum subsistentis.

12. *Accidens in concreto primo cognitum non concipitur sub ratione inherens.* — Atque hinc infero, quod, licet res primo ac per se cognita, revera sit accidens, tamen ab intellectu ex vi illius conceptus non cognoscitur formaliter sub ratione accidentis, id est, sub ratione inherens alicui, sed solum sub ratione hujus sensibilis et materialis entis. Imo neque ex vi illius conceptus discernitur, an illud objectum sit compositum ex forma et subjecto, vel quid simplex, sed tantum præcise et abstracte id concipitur per modum unius. Quod satis nobis ostendit mysterium Eucharistiæ; non enim magis concipimus substantiam ubi est sub accidentibus, quam ubi non est. Formalis ergo conceptio accidentis ut inherens, et substantiæ ut sustentantis, vel per se stantis, discursu postea acquiritur, et maxime ex rerum mutationibus; nam dum videmus accidentia mutari, circa aliquod subjectum ipsum subjectum

mutari intelligimus. Unde si comparatio fiat inter hos conceptus expressos et formales accidentis, ut accidens est, et substantiæ, ut est substantia, videtur sane non esse inter eos necessarius ordo, prout in nobis sunt; quia in principio per modum correlativorum substantiam et accidens videmur concipere, cum solum per illam mutuam habitudinem illa discernere incipiamus; postea vero indifferenter possumus excitari ad utrumque directe cognoscendum, et indirecte seu in obliquo semper cognitio unius terminatur aliquo modo ad alterum; quia, ut dixi, semper conceptio est connotativa seu respectiva; quamvis hoc in accidente proveniat ex imperfectione ejus; in substantia vero ex nostra. Sed de his latius in scientia de Anima.

DISPUTATIO XXXIX.

DE DIVISIONE ACCIDENTIS IN NOVEN SUMMA GENERA.

1. *Consideratio decem summorum generum ad dialecticum ut pertineat.* — Divisio hæc non solum a metaphysico traditur, sed etiam a dialectico, in ea parte in qua de prædicamentis disputat; altiori tamen magisque exacta ratione ad primum philosophum pertinet, ut ex his, quæ de objecto hujus doctrinæ diximus, constare potest. Dialecticus enim non considerat decem suprema entium genera, ut eorum naturas et essentias exacte declarat; id enim extra institutum ejus esset, cum dialectica solum sit quædam ars dirigens operationes intellectus, ut artificiose et cum ratione exerceantur. Unde directe ac per se agit de conceptibus mentis, ut dirigibiles sunt per artem, seu de forma et ordinatione conceptuum, quatenus per artem tribui potest. Quia vero conceptus mentis circa res versantur, et in rebus fundantur, ideo de rebus tractat, non ut earum essentias et naturas declarat, sed solum in ordine ad conceptus mentis coordinandos; et hoc modo agit de decem generibus in ordine ad decem prædicamenta constituenda. Nam prædicamentum logice sumptum nihil aliud est quam generum et specierum usque ad individua conveniens dispositio sub aliquo supremo genere, quam dispositionem, in ordine ad definitiones, prædicationes et demonstrationes conficiendas dialecticus tradit. Et sub ea tantum ratione attingit res in prædicamentis constituendas, et divisionem entis in genera

summa. Propter quod dixerunt multi prædicamentorum interpretes, dialecticum in prædicamentis potius agere de nominibus quam de rebus. Quod intelligendum puto, non quia nomina in prædicamentis ponantur, sed quia dialecticus magis consideret res in prædicamentis collocandas, quoad quid nominis, quam quoad quid rei, quantum illi satis sit ad rerum prima capita seu genera tradenda, sub quibus alia genera et species coordinantur.

2. *Metaphysicus qualiter agat de summis entium generibus.* — At vero metaphysicus directe et ex proprio instituto hanc tradit divisionem, ut proprias rationes et essentias rerum inquirat. Atque hac ratione sub his etiam generibus dividendo procedit per omnia entium genera, saltem usque ad illas específicas rationes, quæ a materia sensibili et intelligibili abstrahunt; alias enim, quæ materialiores sunt, eatenus tantum attingit, quatenus ad suas divisiones perficiendas necessariae sunt, ut in disputatione præcedenti declaravimus. Quoniam igitur de substantia jam disseruimus, superest nobis dicendum de divisione accidentis in novem genera; atque ita manebit completa, et explicata divisio entis in decem genera, seu prædicamenta. Postea vero, sicut in substantia fecimus, ita in singulis accidentium generibus per omnes eorum gradus subalternos vel específicos discurremus, quantum latitudo objecti metaphysicæ postulare aut permittere videbitur. De hac autem divisione tria in communi consideranda occurrunt, nimirum de immediatione ejus, de sufficientia, ac de modo de qualitate seu analogia ejus.

SECTIO I.

Utrum accidens in communi immediate dividatur in quantitatem, qualitatem, et alia summa genera accidentium.

1. *Prima difficultas.* — Ratio dubitandi est, quia multis modis videtur posse accidens dividi in pauciora membra, quæ illa novem sub se complectantur; ergo non est immediata divisio, sed implicite continens et transiens (ut ita dicam) plures immediatiores. Antecedens patet primo, nam accidens dividendum prius videtur in completum et incompletum. Quod enim inter accidentia illa duo membra inveniantur, negari non potest, tum quia quædam accidentia ponuntur directe in prædicamento, alia reductive; tum

etiam quia dantur accidentia partialia et integra; ergo sicut ob has causas dividitur substantia in completam et incompletam, ita etiam accidens. Unde, sicut illa divisio adæquata est substantiæ, ita hæc erit accidenti. Et sicut in substantia necessaria fuit ad constituendum supremum genus, ita in præsentem magis necessaria videtur ad constituenda et distinguenda suprema genera. Quia alias vel non erit adæquata divisio accidentis, prout condistinguitur a substantia sub ente, vel non complectetur omnia quæ in divisio continentur. Quia novem genera summa tantum sub se continentur accidentia completa.

2. *Secunda difficultas.* — Atque hinc oritur secunda difficultas, cur, videlicet, hic non præmittatur divisio accidentis in primum et secundum, seu in singulare et universale. Sicut divisa est substantia in primam et secundam; quia non est dubium quin illa duo membra etiam in accidentibus inveniantur et exhauriant divisum, et consequenter sint immediatiora, cum in unoquoque prædicamento accidentis inveniantur.

3. *Tertia difficultas.* — Tertia ac præcipua difficultas est, quia accidens optime dividi potest in illud, quod est propria forma realis inherens substantiæ, et illud, quod tantum est modus realis efficiens substantiam extra rationem et complementum ejus. Nam quod dentur hi duo modi accidentium, certum nobis est, et superius probatum. Quod vero inter se valde diversi sint, patet ex ipsa ratione efficiendi substantiam, quam habent valde diversam, et ex diverso modo, quo à substantia distinguuntur; ac denique ex ipsa ratione entitatis, et modi realis, quæ pertinent ad primarias entis differentias, ut supra, disp. 7, declaravimus. Quod denique illa duo membra adæquate dividantur accidens, patet, quia includunt immediatam oppositionem et contradictionem; unde non potest excogitari medium seu accidens quod non sit entitas, aut modus efficiens substantiam. Quo tandem fit ut omnia novem genera accidentium sub illis membris contineantur, quæ proinde in ea subdividi poterunt. Igitur hæc etiam ratione illa divisio non est immediata, sed mediata.

4. *Quarta difficultas.* — Quarta difficultas generalis est de multis aliis convenientiis et differentiis, quæ inter illa membra reperiantur, ratione quarum confici possunt plures divisiones immediatiores. Ut, verbi gratia, dividi posset accidens in absolutum et res-

pectivum, et absolutum rursus in quantitate et qualitate, et respectivum in respectivum secundum esse seu prædicamentale, quod proprie dicitur ad aliud, et respectivum secundum dici seu transcendentale, quod potest ulterius dividi in alia sex genera. Rursus posset dividi accidens in spirituale et materiale. Et rursus hæc duo membra possent in alia subdividi usque ad ultimas accidentium species. Item potest dividi accidens in communi in permanens, et successivum, et sic ulterius usque ad ultimas species. Ac tandem dividi potest et maxime proprie in accidens intrinsece afficiens substantiam, et extrinsece tantum denominans, ut prius membrum subdividatur in tria prima prædicamenta, posterius autem sex ultima sub se contineat, ut multi volunt.

5. In contrarium autem est, quia si illa divisio non esset immediata, neque esset doctrinalis, neque in rigore sufficiens. Primum patet, quia divisio, ut recte tradita sit, debet per omnes differentias vel modos proximos usque ad remotiora membra procedere, alias valde imperfecte explicabit naturam divisi. Secundum patet, quia qua ratione numerantur tot membra mediata seu remota, possent multo plura numerari, quæ distinctius declararent amplitudinem accidentis; non potest ergo certa aliqua ratio illius divisionis tradi, nisi immediata sit.

Notationes ad questionis resolutionem.

6. De hac questione nihil fere invenio ab auctoribus dictum, quia vix hanc divisionem in particulari explicant, sed eam cum divisione entis in decem prædicamenta confundunt; tamen, cum illam tradant tanquam aliquo modo immediatam, a fortiori idem dicent de præsentis divisione. Omnes tamen in hoc tantum videntur immediationem ponere, quod genera summa, cum sint primo diversa, in nullo conveniunt, juxta doctrinam Aristot., 5 Metaph., c. 9, et lib. 10, c. 5, ubi hoc discrimen ponit inter ea quæ proprie differunt, et quæ diversa sunt, quia illa aliquo differunt, nam etiam in aliquo sunt unum; hæc vero non aliquo differunt, sed seipsis, quia in nullo conveniunt; cujusmodi sunt summa prædicamentorum genera. Verumtamen hæc sola responsio non videtur sufficiens ad hanc rem explicandam; nam cum dicuntur summa genera accidentium in nullo convenire, vel est sensus, quod in nullo prædicato transcendentali, sive univo-

co, sive analogo, conveniant, vel quod nullum proprium genus habeant commune. Prior sensus est manifeste falsus; et ideo in opposito sensu negari non potest quin, sicut prædicamenta accidentium, et inter se et cum substantia habent aliquam convenientiam in ratione entis, ita in ratione accidentis habeant inter se aliquam convenientiam, quam non habent cum substantia, quam necesse est esse in aliqua ratione sibi magis propria, et consequenter sibi etiam magis immediata, quam sit ratio entis; ergo, pari modo, negari non potest quin inter quædam prædicamenta accidentium sint aliquæ convenientiæ propriæ et peculiare, quæ non sunt communes aliis generibus accidentium, ut manifeste probant rationes dubitandi propositæ; non possunt ergo genera accidentium dici primo diversa, quia nullam hujusmodi convenientiam habeant. Posterior autem sensus verus est, ut sect. 3 latius videbimus; ille tamen non sufficit ad satisfaciendum difficultatibus positis, seu rationem reddendam cur, sicut ens secundum generalem quemdam modum essendi determinatur prius ad accidens, ut sic, et deinde ad accidentia magis determinata seu particularia, non ita accidens in communi intelligatur determinari per modos quosdam communes multis prædicamentis accidentium, prius quam ad propria prædicamenta seu genera accidentium contrahatur.

7. Advertendum est igitur duobus modis dici posse unam divisionem immediatiorem alia. Primo, quia per pauciora membra datur, quæ subdividi possunt per omnia membra alterius divisionis. Secundo, quia differentie vel modi contrahentes divisum in una divisione, per se, et secundum proprium concipiendi modum fundatum in rebus, sunt medium inter divisum et alia membra alterius divisionis, ut est sensibile inter vivens et rationale; et plura exempla utriusque membri in sequentibus afferemus.

Questionis resolutio.

8. Dicendum itaque est, divisionem dictam non esse ita immediatam, quin possint aliæ immediatiore excogitari, si absolute de quacumque divisione per pauciora et generaliora membra loquamur, nihilominus tamen quatenus accidens proxime et adæquate dividi potest in membra, quæ sint genera primo diversa, illam divisionem esse immediatam, et omnium aptissimam ad doctrinam traden-

dam. Priorem partem probant sufficienter exempla omnia, et argumenta in principio posita; ostendunt enim, ut dixi, aliqua prædicamenta accidentium habere inter se aliquas convenientias, vel similitudines non communes omnibus accidentibus, secundum quas confici possunt aliæ divisiones per pauciora membra ulterius divisibilia in res diversorum prædicamentorum; ergo secundum illum concipiendi modum excogitari facile possunt divisiones aliæ per membra immediatiore accidenti in communi; quidquid enim sub accidente commune est multis generibus, concipitur ut immediatiore illis. Posterior vero pars declaratur, quia nullum potest dari genus commune diversis prædicamentis accidentium, ut in sect. 3 latius dictur sumus; ergo quacumque ratione dividatur accidens in pauciora et communiore membra ulterius divisibilia in res diversorum prædicamentorum, non dividitur per membra quæ sint vera genera; ergo si adæquate dividi debuit per membra quæ sint genera primo diversa, id est, quæ in alio genere non conveniant, non potuit aliter dividi. Fuit autem necessarium tradere divisionem accidentis in omnia genera primo diversa dicto modo, ut omnium rerum quidditates et genera ac species possent juxta doctrinam methodum investigari ac cognosci.

9. *Objectioni satisfi.* — Dices, eadem ratione non fuisse nobis præmittendam divisionem entis in substantiam et accidens, sed immediate dividendum ens in decem genera. Respondetur, potuisse quidem id fieri, non tamen fuisse ita conveniens, neque esse parrem rationem, tum quia oportuit communem rationem accidentis, quæ essentialis est omnibus accidentibus explicare, eamque cum substantia conferre; tum etiam quia ratio accidentis ut sic essentialis est et positiva, et omnes modi, quibus genera accidentium constituuntur et distinguuntur, proxime determinant essentialiter ipsam rationem accidentis ut sic, et non rationem entis; et ideo sub accidente optime et immediate dividuntur novem genera. In aliis autem divisionibus accidentis, quæ per pauciora membra tradi videntur, aut non reperitur coordinatio essentialis secundum rationem inter modos constituentes talia membra, et eos qui determinant genera accidentium; aut illi modi non sunt positivi, sed negativi; aut non sunt essentialis, sed extrinseci et accidentales; aut denique non possunt sub illis con-

venienter subdividi genera primo diversa. Quia interdum res ejusdem prædicamenti, tantum specie distinctæ inter se, continentur sub illis membris diversis; et e contrario, res diversorum prædicamentorum ad idem membrum pertinent: quæ omnia declarabuntur commodius discurrendo per singula exempla superius proposita.

Circa primam objectionem tractatur divisio accidentis in completum et incompletum.

10. *Rationem completi et incompleti accidentis in quo collocent aliqui.* — Prima ergo objectio erat de divisione accidentis in incompletum et completum; in qua primum explicandum est quid nomine accidentis completi et incompleti intelligatur. Quidam enim sola concreta accidentium intelligunt esse completa accidentia; incompleta autem esse accidentia in abstracto. Quia accidens concretum significat totum compositum, quod proprie completum est; abstractum vero accidens est sola forma, quæ incompletum quid est, natura sua ordinatum ad tale compositum constituendum. Unde per actionem accidentalem non fit per se accidens abstractum, sed concretum, quia, nimirum, actio per se primo tendit ad completum ens, et ideo dixit Aristoteles per calefactionem non fieri calorem, sed calidum. Tandem forma substantialis est res incompleta; ergo multo magis forma accidentalis in abstracto sumpta.

11. *Horum sententia refutatur.* — Sed hæc sententia probari non potest: aut enim concretum accidentis sumitur ratione solius formalis, vel ratione totius compositi ex materiali et formali; sub priori ratione vere dici potest accidens, sub posteriori autem non tam dici potest accidens, quam ens per accidens, ut illud appellat Aristoteles, 7 Metaph., c. 6, et dictum a nobis est disp. 4, sect. 3. Quapropter cavenda est æquivocatio de nomine accidentis, quam declarare possumus ad eum modum, quo Aristoteles distinxit nomen accidentis, lib. 5 Met., c. 30, ubi ait, accidens interdum vocari aliquid, quia fortuito evenit, quod solum dicitur accidens, quia per accidens contingit; proprie vero accidens dicitur, quod inest alicui extra rei essentialitatem; sic ergo concretum accidentis ratione totius compositi vocari potest accidens, quia per accidens in eo congregantur res diversorum generum; quanquam illud, *per accidens*, non significet fortuitam

congregationem, sed solum accidentariam conjunctionem plurium rerum; non tamen potest illud compositum proprie accidens appellari, ut a substantia distinguitur, cum in illo substantia includatur. Propter quod recte sentiunt, qui negant, hæc concreta sic considerata in prædicamento collocari, quia neque in prædicamento substantiæ, neque in prædicamento accidentis collocari possunt. Et quia in prædicamento non entia per accidens, sed per se collocari possunt. A fortiori ergo tale concretum sic spectatum non potest appellari accidens completum; quia quod accidens non est, nec completum accidens esse potest. Imo nec ens completum potest proprie vocari, quia revera solum ens per se unum est proprie completum ens. Unde si subjectum illius compositi sit substantia completa, compositum ipsum ex substantia et accidente erit plus quam completum, et ideo erit proprie ens per accidens.

12. At vero si loquamur de illo concreto ratione solius formalis, sic dici quidem potest accidens completum; tamen non est cur idem accidens abstractum incompletum censeatur, quia concretum pro formali tantum dicit ipsam formam accidentalem, juxta verriorem et communiter receptam sententiam D. Thomæ, et Commentatoris, 5 Metaph., text. 14. Qui consequenter aiunt contra Avicennam, in sua Logica, concretum et abstractum accidentis formaliter ac præcipue idem significare, solumque differre, quia concretum dicit ipsam formam, ut actu informantem subjectum, et constituentem concretum ipsum, abstractum vero præcise dicit ipsam formam ac si per se esset. Hæc autem differentia non est satis, ut albedo dicatur accidens incompletum, potius quam album; quia actualis inhæsiō, quam magis exprimit album, solum est quidam modus formæ accidentalis, qui non complet illam in ratione accidentis. Unde non potest dubitari quin quantitas separata tam completum accidens sit, sicut conjuncta. Nec refert quod forma ipsa accidentalis sit instituta ad afficiendum subjectum, quia non dicimus hujusmodi accidens in abstracto esse ens completum, sed esse accidens completum, quod est valde diversum; nam accidens, quantumvis in se perfectum, est incompletum in latitudine entis. Et ideo ratio illa solum probat, abstracta accidentium esse incompleta entia, non tamen esse incompleta accidentia. Imo vero idem dicendum est de concretis ratione for-

malium significatorum. Quapropter in hoc non est simile de formis substantialibus; illæ enim et sunt entia incompleta, et substantiæ etiam incompletæ, quod illis perfectius est quam esse accidentia completa. Denique quod afferebatur de termino actionis, nihil ad rem præsentem facit, quia naturalis actio tendit ad compositum, sive illud sit proprie unum, sive per accidens: tendit etiam ad formam non in se, sed in subjecto, et ideo magis dicitur tendere ad concretum quam ad abstractum, etiamsi utrumque completum sit in ordine accidentis.

13. *In quo vere consistat ratio accidentis completi et incompleti.* — Incompletum ergo accidens distinguendum est a completo, tam in concreto quam in abstracto; utraque enim ratio potest in utroque membro reperiri; tamen, quia in abstractis concipitur (ut ita dicam) magis pura ac præcisa ratio accidentis, in eis explicandum est utrumque membrum; facile enim deinde poterit ad concreta applicari. Completum ergo accidens dicitur, quod in ratione formæ accidentalis est integra ac totalis forma; incompletum vero accidens dicitur, quod habet rationem partis respectu completi. Quæ explicatio patet, tum ex proprietate terminorum, tum ex proportionem sumpta ad substantiam completam et incompletam, quas supra hoc modo declaravimus; nam, sicut substantia in suo ordine comparatur ad totum et partem, ita et accidens in ordine suo. Ex quo fit, sicut substantia potest esse completa vel incompleta physice aut metaphysice, ita etiam accidens. Dicitur autem accidens physice completum, quod neque est, neque ex se ordinatur, ut componat per se aliud accidens, quia tunc vere habet rationem totius seu integri accidentis. Dico autem non debere ordinari ad componendum aliud accidens, quia, licet ordinetur ad componendum cum substantia unum compositum, hoc non tollit rationem accidentis completi, eo quod illud compositum non sit verum accidens. Adde quod, licet interdum unum accidens ordinetur ad actuandum vel recipiendum aliud, ut, verbi gratia, potentia ad actum, vel actus ad potentiam, nihilominus hoc non impedit, quin utrumque esse possit accidens completum; quia utrumque in ratione sua habet integram speciem, et non componit cum alio unum per se, sed tantum per accidens. Erit ergo accidens physice incompletum, illud quod physice componit seu integrat aliquod acci-

dens per se unum; ut partes, verbi gratia, quantitatis continuæ, quamdiu sunt in continuo, tantum sunt incompleta accidentia; gradus etiam intensiōis ejusdem caloris potest dici accidens incompletum physice. Et punctum potest dici natura sua incompletum accidens. Quo fit ut idem accidens secundum diversas rationes possit dici completum et incompletum, ut communiter censeatur de linea, vel superficie; nam quatenus habet propriam extensionem, est quantitas completa; quatenus vero est terminus aut vinculum alterius quantitatis, censeatur incompleta. Et eadem qualitas inchoata seu in gradu remisso est essentialiter completa, entitative autem seu intensive est incompleta. Motus etiam quatenus est ipsemet terminus in fieri, censeatur quid incompletum; tamen prout est passio subjecti seu mobilis, habet completam quamdam rationem accidentis, et suum constituit prædicamentum, ut videbimus.

14. *Metaphysice autem dicitur accidens completum illud, quod habet integram essentiam alicujus accidentis.* Ubi statim occurrebat quæstio, an genera accidentium possint dici accidentia completa, vel solum species ultimæ, aut individua. Aut si illa sunt accidentia completa, oritur quæstio de differentiis, cur, scilicet, non sint etiam accidentia completa; nam, sicut differentia est pars, ita et genus, et sicut genus, ut possit dici de specie, concipitur aliquo modo per modum totius, ita etiam differentia. Sed hæc eodem modo expedienda sunt, quo similia de substantia tractavimus. Dicendum est enim, genera omnia, quæ ponuntur in linea recta alicujus prædicamenti accidentis, esse accidentia completa; quod ex ipso modo concipiendi et significandi patet; quantitas enim, calor, habitus, et similia, concipiuntur et significantur, ut integræ formæ accidentales, sive sub generali ratione, sive sub specifica concipiuntur; quia vel expresse, vel implicite dicunt totam formam, seu totam essentiam ejus, et per modum totius. In quo est magnum discrimen inter differentiam et genus; nam differentia semper significatur per modum partis, saltem quoad formale significatum ejus. Proprie igitur accidentia incompleta metaphysice sunt differentiæ accidentium, et genera, si præcise sumantur ut partes, non vero absolute sumpta.

15. Ex quibus tandem ad primam instantiam respondetur, divisionem illam acciden-

tis in completum et incompletum, vel præsupponi tanquam virtute seu proportione contentam in simili divisione substantiæ; vel certe commodius posse applicari ad singula prædicamenta accidentium, scilicet, ut sit quantitas completa et incompleta, et qualitas similiter, et sic de aliis. Nam sub generali ratione accidentis vix aliquid potest censi incompletum simpliciter, aut habere rationem partis, nisi ad particularia genera descendatur; quia ratio accidentis imperfecta est, et communissima, et ideo quantum est ex se, in quocumque modo, quantumvis imperfecto, omnino includitur, quæ ratio in sect. 3 examinabitur. Adde, quod illa diversitas, in ea generalitate sumpta, non est absoluta, sed respectiva, nam, ut dixi, accidens, quod est completum sub una ratione, est incompletum sub alia. Item non est semper differentia essentialis, nam interdum accidens remissum dicitur incompletum, licet essentialiter completum sit. Denique non semper est diversitas rerum, sed intentionum, seu ex modo concipiendi nostro, ut patet in differentiis et speciebus accidentium. Propter hæc ergo non accidens in completum vel incompletum, sed absolute in novem genera divisum est. Ut hinc obiter constet, quando dicitur accidens dividi in novem genera, non sumi genus proprie et rigore, sed ut includit omnia, quæ in unoquoque prædicamento constituuntur, sive directe, sive reductive. Itaque cum accidens dicitur aliud quantitas, aliud qualitas, etc., non sumitur quantitas vel qualitas prout est rigore genus, quo modo est sola quantitas vel qualitas completa; alias divisio non esset adæquata diviso; sumitur ergo quantitas (et idem est de aliis) in tota sua amplitudine, licet postea ad constituendum proprium genus talis prædicamenti propria ratio quantitatis completa accipienda sit; quod hic pro prædicamenti omnibus sit animadversum, ne id repetere necesse sit.

Expeditur secunda objectio.

16. *Accidens in universale et singulare qualiter dividatur.* — In secundo exemplo de divisione accidentis in singulare et universale, seu in primum et secundum, nihil est quod immoremur, nam divisio illa quatenus metaphysica est, magis est divisio unius quam entis vel accidentis, et ita supra tractata est, disp. 4, 5 et 6. Quatenus vero pertinet ad intentiones subjicibilis et prædica-

bilis, magis est dialectica quam metaphysica; et utroque modo est generalis ad omnia entia, nec in accidentibus habet aliquid peculiare. Et quoad hoc est diversitas inter substantiam et accidens, nam in substantia propter peculiarem substandi rationem, necessarium fuit rationem primæ substantiæ distinguere a ratione secundæ, in accidentibus vero nulla fuit necessitas. Unde nec individuum accidens consuevit appellari primum accidens respectu prædicatorum universalium; nam, licet in existendo, singulare sit suo modo prius quam universale, tamen in hoc, ut dixi, nihil peculiare habet accidens, sed provenit ex communi ratione singularis et universalis.

Circa tertiam objectionem aliæ divisiones

17. *Accidens in entitatem et modum ut dividatur.* — In tertia difficultate admittimus omnia, quæ de illa divisione accidentis in rem et modum ibi dicuntur; inde vero solum fit, divisionem illam esse immediatorem priori modo supra declarato. Nihilominus tamen hoc loco necessaria non est: primo quidem, quia divisio illa formaliter sumpta generalior est, et substantiæ proportionaliter convenit, et de ente in communi dari potest; eamque propterea attigimus disput. 9, sect. 1 et 2. Secundo, quia illa divisio non confert ad dividenda genera accidentium primo diversa, nam sub eodem genere prædicamentali possunt interdum includi accidentia, quæ proprias habeant entitates, et quæ tantum sint modi entium, ut sunt in genere qualitatis calor et figura. Ex quo intelligitur, illa duo membra, per quæ illa divisio traditur, per se ac formaliter non mediare inter accidens in communi, et modos quibus determinatur ad suprema genera accidentium; nam accidens intelligitur determinari ad genus qualitatis abstrahendo ab hoc quod sit propria entitas, vel tantum modus entis.

18. *Accidens absolutum et respectivum.* — Idem fere dicendum est de divisione in absolutum et respectivum. Nam etiam hæc divisio magis pertinet ad communem rationem entis, quam ad propriam accidentis. Et præterea, si respectivum, ut ibi insinuat, complectitur respectiva transcendentalia, seu secundum dici, nullum est accidens quod respectivum non sit; unde non potest accidens dividere. Si vero respectivum sumatur proprie pro prædicamento ad aliquid, sic nihil

est utilitatis in ea divisione, tum quia, hoc ipso quod unum tantum genus dicitur esse ad aliquid, reliqua omnia dicuntur esse absoluta; tum etiam quia per hanc absoluti appellationem vix aliquid commune octo generibus accidentium explicatur, præter negationem ipsius ad aliquid.

19. *Spirituale et materiale.* — *Permanens et successivum.* — Ad eundem modum philosophandum est de divisione accidentis in spirituale et materiale, nam etiam hæc duo membra transcendent fere omnia entia; et in substantiis primario inveniuntur, et consequenter in multis generibus accidentium, unde non sunt apta, ut per ea descendamus ad dividenda genera entium primo diversa. Neque etiam sunt proprie medium inter accidens ut sic, et modos quibus ad suprema genera determinatur; nam accidens determinatur ad qualitatem abstrahendo a materiali vel immateriali. Et idem est dicendum de accidente naturali vel supernaturali, et similibus, præsertim de permanente et successivo, quod in ultimo exemplo tangitur. Quamquam illa membra, juxta opinionem multorum, non semper sunt essentialiter differentia, de quo infra videbimus.

20. *Commune et proprium.* — Atque eadem ratione nihil ad præsens refert divisio accidentis in proprium et commune, quæ in divisione prædicabilium latius tradi solet; nam hæc divisio per se ac formaliter non variat rationem accidentis, sed dimanationem ejus ex subjecto. Et idem a fortiori est de accidente separabili vel inseparabili. Quod si inter hæc est diversitas essentialis, formaliter provenit ex modis vel differentiis prædicamentorum accidentium. Unde interdum in diversis prædicamentis, interdum in eodem illa varietas accidentium reperitur. Atque ita obiter explicuimus non solum divisionem hoc loco intentam, sed etiam alias, quæ de accidente tradi solent; ob hanc enim præcipuam causam illas dubitandi rationes proposuimus.

SECTIO II.

Utrum divisio accidentis in novem genera sit sufficiens

1. Ex duobus capitibus quæ ad sufficientiam requiruntur, oritur magna difficultas in hac questione. Unum est, ut omnia membra sint distincta, ne aliqua in unum concidant, et ita pauciora sint quam numerantur. Aliud

est, ut præter hæc non sint alia, quæ ab his genere distinguantur.

Difficultates circa distinctionem membrorum dictæ divisionis.

2. Circa primum, ut supponamus nunc quantitatem et qualitatem esse distinctas, in cæteris fere omnibus est difficultas; nam relatio in re nihil videtur esse distinctum ab omnibus absolutis. Actio, esto distinguatur a primis tribus prædicamentis, tamen et relationem essentialiter includit, et (quod difficilius est) in re non distinguitur a passione. De Ubi et Quando, magna imprimis difficultas est, quomodo distinguantur a tempore et loco, quæ sub quantitate collocantur, graviorque difficultas est de duratione uniuscujusque rei (quæ sub prædicamento Quando collocanda videtur), quo modo ab existentia uniuscujusque rei distinguatur; videtur enim nihil distingui, et ideo nihil esse cur in prædicamento proprio accidentis collocetur. Præterea est difficultas de habitu, quia habitus nihil aliud est quam vestis, si in abstracto sumatur, aut esse vestitum, si sumatur in concreto; sed vestis nihil aliud est quam substantia quædam tali figura vel qualitate affecta. Quod si in ea consideretur sola denominatio extrinseca, quam tribuit homini vestito, illa imprimis nihil reale est, ut inter accidentia realia mereatur nominari, et deinde etiamsi concipiatur ut aliquid accidentale, non est quid distinctum a loco, nam vestis non comparatur ad vestitum, nisi ut proximus locus illum circumdans. Denique situs nihil videtur esse distinctum ab Ubi seu existentia in loco, vel si quippiam addit, ad summum esse potest aut relatio quædam partium locati ad partes loci, aut certe quasi figura quædam resultans in locato ex tali positione, qualis apparet in sedente vel stante, etc. Nihil ergo est in hoc genere, quod in illis contentum non sit.

3. Et augetur difficultas quoad hoc ipsum caput, nam illa novem genera, ut diximus, non solum numerantur ut distincta, sed etiam ut primo diversa; sic autem impossibile videtur tot esse prima genera. Primo quidem propter communem difficultatem de accidente, in quo omnia conveniunt, de qua ex professo dicturi sumus sectione sequente. Secundo, quia multa ex his prædicamentis conveniunt in aliquibus essentialibus differentiis; ergo necesse est ut in aliquo genere conveniant, nam, ut dicitur in Antep.: *Ge-*

nerum non subalternatim positorum non possunt esse communes differentie; ergo genera, quæ habent communes differentias, sunt subalternatim posita. Dicuntur autem genera subalternatim posita, quæ ita se habent, ut vel unum sub altero, vel utrumque sub uno tertio genere collocetur, ut sumitur ex Aristotele, 4 Topic., c. 2, et 5 Topic., c. 3, loco 41. Antecedens primum probatur: nam esse spirituale vel materiale, differentia sunt accidentis, et tamen communes sunt multis ex dictis generibus; similiter esse absolutam formam, vel respectivam; item esse formam propriam, vel modum; ac denique esse proprie inhærentem, quod maxime commune est quantitati et qualitati, vel esse tantum extrinsecus denominantem, quod maxime convenit actioni, habitui, et loco continenti.

Difficultates circa sufficientiam divisionis.

4. *Prima difficultas.* — Circa aliud caput non minores difficultates occurrunt. Prima ac præcipua est, quia vel sub accidente designamus omnes denominationes reales, quæ sunt extra substantiam rei, vel tantum illas quæ sumuntur a forma intrinsece inhærente; hoc posteriori modo sine dubio non essent tot accidentium genera, ut argumenta priora convincunt; priori autem modo multa sunt, quæ sub his non continentur. Quod patet primo de his denominationibus, *esse visum, amatum*, etc. Neque enim dici potest, hujusmodi denominationes esse rationis tantum, nam ex forma reali et habitudine reali sumuntur, non minus quam denominatio agentis. Unde aliter potest eadem difficultas declarari; nam eadem dependentia prout denominat agens vel patiens, dicitur constituere duo genera accidentium, scilicet, actionis vel passionis; ergo idem actus immanens prout denominat active ipsum agens, verbi gratia, videns, et passive objectum visum, constituet duas rationes, vel duo genera accidentium.

5. *Secunda difficultas.* — Atque hæc difficultas potest secundo extendi ad plures alias formas denominantes, nam superficies corporis continentis, ut extrinsece denominans aliud contentum vel locatum, dicitur constituere speciale genus accidentis; ergo ut active denominat rem locantem, constituet aliud accidentis genus. Et idem argumentum est de habitu, ut denominat vestitum, vel vestientem; cur enim agens et patiens, ut sic, in diversis generibus accidentis collocan-